Th. VI
14

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
COLICA.

QUAM,
FAVENTE DEO OPT. MAX.
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. FRIDERICI SPANHEMII, Fil. S. S. Th.
Doctoris, Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri Academiâ Lugd.
Bat. ut & Antiquitatis Eccleſiaſticæ Profeſſ. Primarii,
Eccleſiaſtæ diſertiſſimi, Acad. Bibliothecarii,
NECNON
Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu,
& Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
rite & legitimè conſequendis,
Publico examini ſubjicit
MICHAEL SCHAAP, Enchuſa Weſtfr.
Ad diem 15 Ianuarii horis locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCIII.

Ampliſſimis, Doctiſſimis, Spectatiſſimiſque Viris.

D. D. HILBRANDO VANDER SLUIS. Med. Doct. expertiſſimo, Reipublicæ Enchuſanæ olim Scabino, jam verò Senatori graviſſimo, Societatis Indiæ Occidentalis Præfecto digniſſimo.

D. D. HILBRANDO VIS, Juris utriuſque Doct. conſultiſſimo, Reipublicæ Enchuſanæ Senatori optimè merito.

NEC NON

Prudentiſſimis Viris.

D. FREDERICO ENGELENBURGH, Chirurgo peritiſſimo Pharmacopæo Enchuſano dexterrimo, fratri meo perdilecto.

D. PETRO VERSCHUUR, Mercatori vigilantiſſimo, Affini honorando.

Diſputationem hanc Inauguralem ex ſincera animi affectione ac debita reverentia dedicat.

MICHAEL SCHAAP.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
COLICA.

THESIS I.

Inter varios inteſtinorum affectus non minimam adfert moleſtiam de quo nobis impræſentiarum erit ſermo, qui communiter **Colica**, ſubinde **Colica paſſio**, nonnunquam **Colicus dolor**, & à Clariſſ. Lindano ***volvulus frigidus*** appellatur.

II.

Eſtque vehemens & lancinans abdominis dolor nunc vagus, nunc fixus, nunc continuus, nunc intermittens, ab inteſtini cujuſdam, præſertim coli propter viſcidarum & acidarum particularum abundantiam inflatione & roſione originem trahens.

III.

Quandoque in abdomine oriuntur dolores, colicis dolori-

bus fere ſimiles. Hinc nata eſt diſtinctio inter *Colicam veram* & *ſpuriam*: in illa malum hæret in ipſo inteſtino colo, in hac verò in aliis abdominis partibus hoſpitatur. Quamobcauſam præmonendus es, Benevole Lector, me in ſequentibus miſſâ ſpuriâ de Colica vera verba facere.

I V.

Quoniam autem maximam cum dolore nephritico habet affinitatem, qua ratione ab illo diſcerni poſſit neceſſario inveſtigandum erit.

V.

Sciendum itaque *Dolorem Colicum* plerumque eſſe vagum, ſeu excurrentem modo ab uno hypochondrio ad alterum, modo ſurſum, modo deorſum, *dolorem verò Nephriticum* immobilem in dorſo circa lumbos hærere, *illum* utplurimum lancinantem & diſtendentem, *hunc* plus minus obtuſum ac gravativum exiſtere, *illum* inflexo corpore miteſcere, *hunc* ingraveſcere *illum* Clyſteres alvique evacuationes plurimum, *hunc* verò vel parum vel nihil levare.

V I.

Præterea *Dolor Colicus* poſt paſtum, imprimis ſi aromatica aſſumta fuerint, paululum remittit; *Dolor* autem *Nephriticus* exacerbatur, Urinæ quoque ſtillicidium aut ſuppreſſionem, ſubinde mixtionem ſabuloſam & copioſo ſedimento impregnatam, aut ſanguinolentam, nonnunquam crurum ſtuporem comites habere ſolet: quibus caret *Colicus*. Quo plura itaque vel pauciora ſigna concurrunt, eo certius judicium de morbo ferre poſſumus.

V I I.

Diagnoſtica Colicæ paſſionis *ſigna* præter ſupra recenſita ſunt ſequentia: Tormina videlicet doloreſque inteſtini Coli pertetebrantes & lancinantes, nauſea, vomitus, alvus pertinaciter adſtricta, anxietas præcordiorum, flatus & murmura, nonnunquam etiam adſunt ſitis, vigiliæ, linguæ ſiccitas & ariditas, febris, urinæ ardor, abdominis aliquando inſtar tympani diſtenſio, ſubinde contractio, animi deliquia, ſudores frigidi, nec non aliquando convulſiones & ſingultus.

VIII.

VIII.

Notandum interim Colicam prouti diverſa illam comitantur ſymptomata, diverſa quoque ſortiri nomina: Si enim Nephritis ſimul adſit, Colica Nephritica, ſi æſtus, bilioſa, ſi frigus, pituitoſa vocatur. Si hyſtericas infeſtet, hyſterica, ſi ſcorbuticos, ſcorbutica, ſi hypochondriacos, hypochondriaca nominatur. Si convulſiones ipſi fuerint conjunctæ, Convulſiva, ſi flatus, flatulenta, ſi denique à ſtercoribus induratis, in coli cellulis diu nimis hoſpitantibus originem trahat, ſtercorea dicitur.

IX.

Priuſquam verò ad cauſas explicandas progrediar, inteſtini coli ſitum neceſſariò indigitare oportet, ut eo melius vagi iſtius doloris excurſio intelligatur. Initium itaque Coli incipit ab inteſtino cæco circa dextrum renem, cujus membranis etiam aliquo modo alligatur, deinde ſurſum aſſurgit verſus hepar, hinc ſub ventriculi fundo tranſverſim fertur ad hypochondrium ſiniſtrum, cujus lateris reni nec non lieni paululum jungitur, ibique anguſtatum intorquetur, & tandem facto flexu, ut vocant, ſegmoideo, ad umbilicum quaſi aſcendens circa oſſis ſacri initium in inteſtinum rectum terminatur.

X.

Quod ad figuram attinet, notum eſt, Colon omnium inteſtinorum eſſe craſſiſſimum, multiſque intus præditum eſſe cellulis acribus & viſcidis humoribus aptum diverſorium largientibus.

XI.

Cauſa hujus affectus *proxima* eſt inflatio [coli à particulis viſcidis & glutinoſis, quibus acres & acidæ plus minus ſunt admixtæ, ſeſe dilatantibus majuſque ſpatium occupantibus; acribus particulis interea temporis inteſtini fibrillas nerveas rodentibus & vellicantibus. Convulſivæ verò cauſa latet in ſucco nervoſo tumultuario & inordinato motu abrepto.

XII.

Cauſa continens poteſt eſſe vel ſuccus pancreaticus vel liquor ex ventriculi & inteſtinorum glandulis exſudans, juſto acidior & acrior factus, vel Chylus crudus & viſcidus ſcindentibus &

pungentibus particulis imprægnatus; vel denique mucus in ſtatu naturali inteſtinorum lateribus ſemper adhærens nimium glutinoſus & ad inflationem aptus.

XIII.

Memoriæ quoque proditum eſt lumbricos colon inhabitantes nerveas iſtius fibrillas rodendo, nec-non ex ulcere in colo nato emanantes particulas acres, ipſius latera vellicando dolorem colicum produxiſſe. Nummos deglutitos ſimiliter in inteſtinis hærentes, nec non herniam Colicæ paſſionis nonnunquam fuiſſe authores experientia teſtatur. Nec mirum: illis enim impeditur quo minus excrementa deſcendere poſſint quibus ſtagnantibus & putreſcentibus acres & corroſivæ particulæ enituntur, malumque ſupradictum cauſatur.

XIV.

Sunt inter Medicos haud pauci, qui bilem doloris colici cauſam nonnunquam accuſant, & eapropter certam quandam ſpeciem *bilioſam* appellant; ſed cum ejus naturam accuratius perſpicio planè ab intentato hoc crimine illam abſolvo. Præſtantiſſimum ſiquidem vitæ noſtræ balſamum vocari potius meretur, propter egregium, ex quo maximam partem componitur ſal volatile oleoſum. Hoc ſiquidem acidas particulas temperando & involvendo viſcidaſque incidendo ſanguinis fluiditatem conſervat; ejuſque motum intendit, flatus & inteſtinorum diſtenſiones antevertit, verbo, doloribus quibuſcunque omnem præcidit occaſionem.

XV.

Tantum itaque abeſt ut bilis abundantia dolorem excitare poſſit, ut potius impoſſibile ſit dolorem oriri poſſe, niſi vel deficiat, vel ab acidis particulis infringatur & enervetur. Fateor quidem bilem quamvis non facile; ſubinde tamen à præ-dominante acido corrumpi poſſe, tum vero non bilis, ſed acidum potius, quod in bile peccat, accuſandum venit.

XVI.

Cauſæ remotæ ex ſex rebus non naturalibus male adminiſtratis commodè peti poſſunt. Aër namque craſſioribus particulis re-

refertus corporis noſtri ſuccos incraſſat & ad circulandum ineptos reddit; Unde tranſpirationem, præſertim ſi ſit frigidus, ſufflaminat, ſicque acidæ aliæque craſſiores particulæ, quæ alias exhalaſſent in corpore remanere coguntur.

XVII.

Majus verò damnum *perverſa diæta* inferre valet. Dum enim carnes ſalitas, fumoque induratas, piſces marinos, caſeum, braſſicam capitatam, alioſque cibos viſcidos, flatulentos, nec non acidos veluti fructus horæos, lac ebutiratum, ſimileſque multo acido & ſaccharo paratos, indies ad nauſeam uſque appetunt, illiſque cereviſiam fæculentam & acidam vel muſtum ſuperbibunt, non laudabilem, ſed acidum & viſcidum crudumque generari chylum nullum eſt mirum.

XVIII.

Quemadmodum *nimio motu* particulæ volatiles è corpore expelluntur ut nec viſcidæ ſufficienter attenuari, nec acidæ infringi poſſint; ſic *nimia* quoque *quiete* tranſpirationem retardante particulæ craſſæ & viſcidæ in corpore accumulantur. Ita ut hic apprimè neceſſarium: *Ne quid nimis. De vigiliis & ſomno* idem eſto judicium.

XIX.

Si illud *quod excerni debebat* retineatur colica produci poteſt. Quanquam ſi rem ritè conſideremus excrementa non cauſa ſed productum potius morboſum ſint dicenda. Quamdiu enim motus periſtalticus ritè procedit, quamdiu excrementa nondum ſunt indurata, tamdiu levi negotio excernuntur.

XX.

Tandem ab *animi paſſionibus* præſertim ab ira tanquam cauſa procatarctica excitatam aliquando fuiſſe colicam Medicorum teſtantur annales. In ira namque ſpiritus animales in omnes corporis nervos impetuoſius ruunt, conſequenter etiam in plexum Meſenterii, unde colon ſuos accipit ramulos, ubi ſi offendant particulas acres deliteſcentes, eas in motum abripiendo dolorem producere valent, quem vocamus colicum.

X X I.

Enumeratis cauſis præcipua quædam ſymptomata elucidanda occurrunt; inter quæ primum ſeſe offert *Dolor* ſive moleſta perceptio orta ab irregulari ſpirituum animalium motu à particulis acidis nervos ſcindentibus & vellicantibus originem trahente. Quod autem dolor iſte mox ab uno hypochondrio ad alterum; Mox ſurſum, mox deorſum vagetur, inteſtini coli ſitui ac circumgyrationi merito adſcribitur.

X X I I.

Quod ſi nervi ſtomachici vel ab acido ibidem hærente vellicentur & agitentur, vel ab inteſtini coli fibrillis nerveis ſpaſmodice convulſis in conſenſum trahantur *Nauſea* producitur, quæ agitatio & tractio dum perrennat, & vehementior evadit, motus ventriculi Periſtalticus tandem invertitur, & contenta per os vomitu ejiciuntur. Quidquod expanſum & dilatatum colon ventriculum cui ſubjacet premendo nauſeam, vomitum, nec non anxietates præcordiorum parere poſſit.

X X I I I.

Alvi obſtructio quæ ut plurimum colicam comitatur, â materia viſcida & flatulenta colon diſtendente, nec non motu periſtaltico eapropter tardiori reddito excrementorum deſcenſum impediente, proficiſcitur.

X X I V.

Abdominis inſtar tympani *diſtenſio*, *flatus & murmura* particulas viſcoſas in altum elevatas, plus ſolito colon diſtendentes cauſam agnoſcunt. Reliqua ſymptomata, cùm ex prædicta hypotheſi nullo negotio explicari poſſint, brevitati ſtudens, ſicco pede prætereo.

X X V.

Quod ad *prognoſin* attinet ſciendum eſt affectum hunc periculo vacare ſi reſpiratio ſit libera dolor vagus remiſſior & intermittens. Animi verò deliquia, vigiliæ, & vomitus urgentes, dolores nullis remediis cedentes, extremarum partium refrigeratio, convulſiones, ſingultus ut & ſudores frigidi aliquid ſiniſtri præſagiunt, Si abdomen inſtar tympani diſtendatur, nec ullis auſcultet remediis in tympanitidem facilè degenerare poteſt, Colicæ convulſivæ Epilepſia, vel paſſio hyſterica ſeu ſuffo-

ſuffocatio hypochondriaca non rarò ſupervenit. Spaſmodica in paralyſin vel Arthritidem ſæpius terminatur. Subinde iliacam paſſionem enititur, Nonnunquam colica cui inteſtini inflammatio & exulceratio erat conjuncta ſuperveniente febri & gangræna mortem poſt ſe traxit.

XXVI.

Curatio colicæ in eo conſiſtit ut viſciditates incidantur & evacuentur; acidæ particulæ temperentur, convulſioneſque ſiſtantur, cui ſcopo inſerviunt, Aromatica ſpirituoſa, oleoſa, carminantia, ſalia fixa & volatilia &c. E. G. ℞. Sal. Abſint. ℈j. ſal. vol. C. C. ℈ß. Camph. gr. vj. fiat pulvis pro una doſi in ſufficienti quantitate vini Hiſpanici abſumendus vel ℞ ſpirit. Carm. Sylv. Cochlear. ana ʒij. Sal. vol. Oleos. Tinct. Caſtor. ana ʒß fiat mixtura ad 50. gutt. cum ſpiritu vini aniſato propinanda.

XXVII.

In colica ſpaſmodica & convulſiva ſequens pulvis apprimè conducit ℞. Corall. Rubr. Ocul. Cancr. ana ℈j. Caſtor. Camph. ana gr. xv. L. O. gr. ij. Ol. Cinamom. gutt. j. fiat pulv. pro 2. doſibus. Si vero pulveres ægroto moleſtiam & nauſeam creant. ℞. Aq. Cinamom. ℥ß. Tinct. Croc. ʒj. ſpir. C. C. ℈ß. L. O. gr. i. M. pro una doſi in liquore appropriato.

XXVIII.

Alvus quantum fieri poteſt ſervetur aperta. Quam ob cauſam Clyſteres in uſum vocandi; illis namque fæces induratæ non ſolum emolliuntur & educuntur. Sed & inteſtinorum fibrillæ flexibiliores redduntur, & viſciditates iis adhærentes, reſolvuntur. Purgantia leniora in colica flatulenta à viſcidarum particularum prædominio orta concedi poſſunt; ubicunque vero particulæ peccant acres, convulſioneſque apparent, malè audiunt, morbumque exaſperant.

XXIX.

Exterius quoque linimenta, fotus, cataplaſmata ut & ſacculi ex aromaticis herbis conſtantes applicari poſſunt, præſertim ſi colica ab externo frigore fuerit introducta. Hæc ſunt, Benevole Lector, quæ de colica paſſione proferenda habui, ſicubi fortè erraverim in bonam partem ut accipias obnixè rogo.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Embryones non per os, ſed ſolum per umbilicum nutriuntur.

II.

Oſſa pubis in partu difficili dehiſcere nullo modo poſſunt.

III.

Cotyle oſſis femoris in infantibus non ex uno ſed ex tribus conſtat oſſibus.

IV.

Arteria cujus pulſus communiter in ægris exploratur non locatur in cubito.

V.

Sanguis citra coagulationem alicubi in corpore extravaſari poteſt.

VI.

Ductus thoracicus non ſemper inſeritur in venam ſubclaviam.

VII.

Cor propriè unicum ſolum habet motum, quem vocamus ſyſtolen.

VIII.

Pulmones ad inſpirationem ſemper paſſivè ſe habent, nunquam activè.

IX.

Ceſſante namque pulmonum motu pectoris dilatatio adhuc perennat.

X.

Falſiſſimum eſt Lienem nunquam male affici.

FINIS.

Nobiliſſimo atque Præſtantiſſimo Juveni

MICHAELI SCHAEP,

Amico ſuo ſuaviſſimo, de Doctoralibus in Medicina honoribus plurimum congratulatur, & largam Dei benedictionem apprecatur

JOHANNES TILING, Brem. Med. Doct.

Dum Tibi Lugdunum ſummos decernit honores,
Non volui mutum barbiton eſſe meum.
Hinc te Doctorem gratanti voce ſaluto,
Nec non exiguo carmine multa precor.
Omnipotens noſtris vires qui contulit herbis,
Ille Tibi faveat, det quoque quæ voveo.
Ut dextrè poſſis cunctos ſanare dolores,
Et quodvis valeas arte levare malum.
Vive diu felix, Doctor, partoque triumpho
Lætare, & factis præmia digna cape.

TER

TER EEREN

van d' Heer

MICHAEL SCHAAP,

Als hy tot

MEDICINEN DOCTOR

wiert aengenomen,

In d'Univerſiteyt tot Leyden, den 15. Januarij 1693.

Roemwaerde Heer, door dees Uw ſtellingh,
Geeft gy klaer blijck van Uw verſtand,
Tot hulp van Kranken en haer quellingh,
Want gy haer geeft goed onderſtand;
Gy toont met wat voor ſwaere ſlaegen
't Colijck den Menſch vat ſchielijck aen,
Wat raet men doen moet om ſijn plaegen
Te doen verdwijnen en vergaen;
Die dan in 't kort wil ſijn geneſen,
Of ſig wil wagten voor de pijn:
Die moet maer deeſe Scriften leſen,
Hy vint hier raet, en Medecijn.

S. M. B. L. G. P. I.